

tur. Deinde examinabimus fidelitatem omnium testimoniorum quæ in nostrum favorem adduximus, et infideliter a nobis allegata esse vel male intellecta objicitur. Expendemus denique vim nostrarum rationum, et earum occasione novam Doctrinam quam adversarii introducunt in medium proferemus, ejusque qualitatem, et omnium testimoniorum ac rationum quibus sua dogmata denuo confirmare nituntur, diligenter expendemus. In hoc autem opere nullo contradicendi spiritu ducimur, sed solum justam defensionem intendimus. Nec etiam prævenire volumus Sedis Apostolicæ judicium, cui nostrum semper subjicimus; sed plenior totius sententiæ nostræ informationem dare cogimur, tum ne fortasse ob falsam alicujus erroris suspicionem, aut sinistram mentis nostræ interpretationem, veritas ipsa aliquid incommodi patiat; tum etiam quia res est gravissima, et his temporibus maxime necessaria, in qua nulla erroris suspicio a Doctore Catholico permitenda est.

CAPUT I.

SUPPONITUR DARI AUXILIUM EFFICAX, ET DIVISIO GRATIÆ IN EFFICACEM ET SUFFICIENTEM BREVITER DEFENDITUR.

Supponitur in titulo totius operis dari auxilium efficax, quod est quasi scopus, vel potius scopulus totius controversiæ præsentis; nam in explicanda illius auxilii natura et efficacia, quæ libertatis usum non lædat, totum hoc negotium positum est. At diebus his libellus quidem in lucem prodiit, in quo auctor ejus, acriter impugnata (ut ipse putat) distinctione auxilii in sufficiens et efficax, omnem controversiæ occasionem e medio sustulisse se existimat, et facili negotio libertatem cum auxiliis gratiæ excitante et adjuvante conciliare. Vix autem ex discursu auctoris illius percipias quæ sit ejus intentio, aut quo tandem modo libertatem cum divinis prædefinitionibus seu prædestinatione conciliari doceat. Nec enim intelligas an simpliciter negare velit dari aliquod auxilium tantum sufficiens, et aliquod simul sufficiens et efficax, an vero solum divisionem auxilii in illa duo membra impugnet, vel tanquam insufficientem, vel quia membra non sunt revera distincta aut opposita, vel quia non recte hæc explicata sunt.

Et sane, si libri scopum, et verba quibus in

multis capitibus a principio proponitur, inspicimus, videtur absolute doceri nullum esse auxilium efficax, nullumque tantum sufficiens. At hic sensus non solum esset erroneus, verum etiam tam aperte repugnans doctrinæ ejusdem auctoris, ut verisimile non sit hominem prudentem et non indoctum sensum illum intendisse. Nam dari auxilium sufficiens tam certum est, quam est certum per Deum non stare quominus homines salventur. Quod his plene verbis dixit Sapiens, Eccles. 13: *Ne dixeris: per Deum abest, quæ enim oderit ille, ne feceris.* Et omnia quibus ille auctor impugnat prædictam divisionem, quatenus ad hoc membrum spectat, potius probant dari auxilium vere sufficiens in re ipsa, et non solo nomine, quod nos maxime fatemur. Item probant tale auxilium vere sufficiens dari non solum prædestinatis, sed et reprobis, nec solum his qui consentiunt, sed etiam qui resistunt.

Datur aliquod auxilium tantum sufficiens. — An tale auxilium sistat in ratione sufficientis, etc. — Hinc autem manifeste concluditur dari aliquod auxilium tantum sufficiens, id est, quod, licet de se aptum sit et proxime potens ad efficiendum, non tamen consequatur effectum; quod per se est tam evidens, tum ex Scripturis, tum ex rebus ipsis, ut id probare supervacaneum sit. An vero tale auxilium sistat in ratione sufficientis, et ad effectum non perveniat, ex defectu ulterioris auxilii, quod in potestate hominis non sit, vel ex incongruitate aliqua a Deo intenta et captata, vel tantum ex hominis defectu et libertatis abusu, alia quæstio est. In qua nos etiam sentimus id non provenire ex defectu ulterioris auxilii prævenientis, quod non sit in hominis potestate; sic enim prius auxilium non re, sed solo titulo esset sufficiens; nec ex incongruitate quam tale auxilium de se habeat quasi in actu primo, nec quam Deus capteret aut intendat, cum potius valde cupiat hominem converti, et tali auxilio consentire; sed dicimus provenire ex sola innata hominis libertate, juxta illud: *Perditio tua ex te.* Ex qua libertate fit ut tale auxilium, quod de se posset esse congruum, reddatur incongruum in actu secundo, id est vanum, cassum et inefficax. Unde cum Deus, qui dat tale auxilium, non ignoret futuram incongruitatem illam, dicitur dare auxilium incongruum, non quidem in actu primo vel ex se, sed in actu secundo et ex homine, nec intendens incongruitatem, sed prævidens et per-

mittens. Tale ergo auxilium vocatur mere aut pure sufficiens. Et quia ille auctor non advertit in hoc negotio quam sit diversum captare incongruitatem vel permittere, et quantum distet inopportunitas in actu primo, seu de se, ab inopportunitate in actu secundo, ideo frigide satis impugnat hoc membrum illius divisionis recte intellectum, licet aliquas illius expositiones minime convenientes bene expugnet.

Per efficaciam auxilii quid significetur. — Vide auct., cap. 4, non longe a fine; cap. 7, circa initium. — Circa aliud vero membrum de auxilio efficaci confuse etiam procedit, dum ambiguitas illius vocis distinguitur, ut alio etiam loco dixi; quod huic etiam auctori contigisse video. Per efficaciam enim significari solet non actualis efficientia, nec virtus agendi, quæ semper habet conjunctam efficaciam in actu secundo, sed sola virtus præbens vires vere activas, et, quantum est ex se, efficaciam actualem inferentes, licet impediri possint aliunde, et impediri contingat. In qua significatione omne auxilium vere sufficiens est etiam efficax, id est, vere effectivum. Solet item per efficaciam significari sola actualis effectio, seu virtus, ut conjuncta actuali effectio, quo sensu et est evidens non omne auxilium sufficiens esse efficax, et dari multa auxilia ita sufficientia, ut sint etiam efficaciam, id est actu efficientia; imo de fide est, quoties homo aliquem supernaturalem actum libere operatur, actum illum esse effectum in quem actu influit aliquod divinum auxilium; ac proinde æque certum est ibi intervenire auxilium efficax in prædicta significatione. Unde ille idem auctor, qui in quodam loco videtur negare gratiam efficaciam etiam sub hac denominatione, in alio eam probat, et ex mente sancti Thomæ ait vocari gratiam efficaciam, non ob qualitatis discrimen, sed ob efficientiam ipsam et actum secundum efficaciam; nec inconveniens putat illam denominationem efficaciam gratiæ non esse sine concursu liberi arbitrii, quod priori loco impugnat.

Gratia efficax quæ dicatur. — Aliter vero solet gratia efficax dici illa quæ ita promovet voluntatem, ut faciat illam infallibiliter operari id quod Deus intendit; et hanc efficaciam gratiam videtur ille auctor potissime impugnet; tamen rationes ejus valent aliquid contra eos qui ponunt talem gratiam habere infallibilitatem causalem, ut sic dicam, id est provenientem ex natura talis auxilii habentis

vim prædeterminandi voluntatem ad unum, et ad exercitium actus. Parum autem valent contra eos qui solum admittunt infallibilitatem provenientem, non ex sola innata efficacia auxilii, sed ut substat divinæ scientiæ conditionalium contingentium. Quam præscientiam ille frigide impugnat, ut alio loco ostendam; multumque repetit et exaggerat, quod inde sequatur inopportunitatem gratiæ refundendam esse in Deum captantem occasiones ut homines perdat. Quod frivolum etiam est; nam Deus ex vi præscientiæ non est causa defectuum humanorum, ut illi ea ratione tribui possint; neque etiam tales defectus intendit, sed permittit.

Datur gratia præveniens, seu excitans, aut operans efficaciam. — Nos igitur ut certum supponimus dari gratiam prævenientem, seu excitantem, aut operantem efficaciam in hac ultima significatione. Quia sine illa non potest salvari electio, prædestinatio, aut prædefinitio actuum liberorum, quæ ordine rationis absolutam præscientiam futurorum operum liberorum antecedit. Nam si Deus præfinit absoluto decreto, ut Petrus, verbi gratia, hic et nunc habeat talem actum contritionis, prius ratione, quam prævideat Petrum habiturum talem actum, necesse est ut habeat potestatem ita movendi et inclinandi voluntatem Petri ad talem actum, ut omnino infallibile sit Deo se consecuturum quod decrevit; quia alias voluntas Dei absoluta non infallibiliter impleteretur, quod divinæ perfectioni et omnipotentiae repugnat. Nec prædictus auctor in toto illo opere explicat, quomodo sine hoc auxilio efficaci possit divina prædestinatio, dicto modo explicata, habere certitudinem et infallibilitatem sine præveniente gratia efficaci.

Et quamvis in quodam loco, hoc argumentum et testimoniis Augustini convictus, tandem fateatur necessitatem gratiæ efficaciam in ordine ad finalem poenitentiam vel perseverantiam, et nihilominus neget illius necessitatem quoad omnes actus supernaturales, tamen nec consequenter loquitur vel in sua vel in Augustini doctrina, nec satisfacit omnibus difficultatibus quæ inde emergunt. Nam si gratia efficax est necessaria in natura lapsa ad perseverandum, ergo qui illam non habent, non recipiunt auxilium sufficiens ad perseverandum; ita enim ipse in cæteris actibus colligit; vel ergo in cæteris non est bona collectio, vel in dono perseverantiæ eandem vim habebit. Similiter de gratia illa ef-

ficaci ad perseverandum, interrogabimus an consistat in prædeterminatione physica, vel in vocatione congrua. Primum non dicit, quia procedunt omnes rationes ejus contra illam prædeterminationem; si autem dicat secundum, sequitur omnibus reprobis dari auxilium inopportunitate ad perseverandum, et Deum capere occasiones ut illi cadant et non perseverent; quod si hoc revera non sequitur, ruunt omnes rationes quas ille contra nos facit. Præterea finalis pœnitentia sæpe consistit in uno actu contritionis, quem homo peccator post perditissimam vitam habet in puncto mortis; si ergo ad illum actum debet dari gratia efficax, salva libertate, cur non ad cæteros? Item, si ex duobus peccatoribus unus recipit illud donum, quia prædestinatus est, et alius non prædestinatus non recipit illud, cum tamen sine illo infallibiliter damnatus sit, ergo Deus ex certa scientia relinquit hunc sine medio congruo et necessario; ergo non dat illi auxilium vere sufficiens, et captat occasiones; vel si hoc genus argumentorum frivolum est in tali dono, non est firmiter in cæteris actibus.

Perseverantia fit per continuatam successionem plurium actuum bonorum. — Non solum ad gloriam consequendam, sed etiam ad credendum datur vocatio efficax et congrua. — Unde ulterius argumentor, quia hoc ipsum quod est perseverare non fit nisi per continuatam successionem plurium actuum bonorum, quibus excluduntur actus omnes contrarii gratiæ; ergo donum necessarium ad perseverandum solum consistit in continuata successione vocationum vel auxiliorum necessarium ad illos actus; ergo si necessarium est auxilium efficax ad perseverandum, etiam est necessarium ad illosmet actus liberos, præsertim ad illos qui ad non peccandum graviter necessarii sunt; si ergo illi actus, non obstante necessitate talis auxilii efficacis, libere fiunt ab eo qui perseverat, et libere omittuntur ab eo qui non perseverat, licet tale auxilium non habeat, plane eadem ratione potest esse auxilium efficax necessarium ad singulos actus supernaturales, et in singulis eodem modo expedientur illæ difficultates. Tandem, si necessitas efficacis gratiæ ad perseverandum ponitur propter prædestinationem, seu præelectionem ad gloriam, eadem proportione ponenda est propter prædefinitionem ad quemcumque actum supernaturalem liberum, quia est eadem proportio et ratio. Atque ita Augustinus non solum ad glo-

riam consequendam, sed etiam ad credendum dicit dari vocationem efficacem et congruam, ut videre licet lib. 83 Quæst., quæst. 68, lib. 4 ad Simplician., quæst. 2, et lib. de Prædestinatione Sanctorum, et de Dono perseverantiæ sæpe, et aliis locis, præsertim Epist. 105, 106 et 107, docet ad singulos actus esse necessariam efficacem gratiam seu vocationem.

Quod si tandem auctor ille non intendat efficacem gratiam etiam prævenientem seu excitantem avertere aut negare, sed solum invehitur in distinctionem illam, vel quia insufficientis est, vel quia membra non sunt inter se distincta, inani labore defatigatus est. Nam imprimis ad difficultatem præcipuam hujus materiæ, quæ est de concordia efficacis gratiæ prævenientis cum usu liberi arbitrii, parum refert quod divisio illa adæquata sit necne; imo nec refert quod efficax gratia sit necessaria ad singulos actus, vel ad unum liberum; nam si ad unum necessaria est, ibi cernitur tota difficultas, et necessaria est concordia, maxime si ad illum eundem actum potest dari gratia solum sufficiens; sed ultra hoc cum hæc divisio sit de auxilio gratiæ, quod datur per aliquem actum, cum proportione sumenda sunt membra in ordine ad eundem terminum, et ita necesse est ut adæquate partiantur divisum, quia immediatam contradictionem includunt. Si ergo divisio illa sumatur in ordine ad effectum perseverandi, erit sufficiens respectu illius; aut enim auxilium tale est, ut certissime det perseverandi effectum, et est gratia efficax, vel non dat perseverare cum effectu, sed tantum posse, et sic est tantum sufficiens; nec potest inter illa duo membra medium excogitari; est ergo adæquata, illamque, licet aliis verbis, tradidit Augustinus, lib. de Correctione et gratia, c. 11 et 12.

In quo sensu possit dici auxilium efficax proprium esse prædestinatorum, sufficiens reprobis. — Posset vero aliquis medium inter illa duo membra invenire, dicendo dari auxilium quo revera homo perseverat, non tamen infallibiliter ex vi prædefinitionis Divinæ, sed solum ex præscientia absoluta futuri eventus. Sed dicendi modus supponit salvari aliquos non prædestinatos ante prævisionem operum; supponit etiam fore hominem perseveraturum, si tale auxilium ei detur, atque adeo tale auxilium non dari ut efficax et infallibile ex certa scientia et præfinitione Dei, sed tantum cognosci futurum efficax

quasi consequenter, per scientiam absolutam futurorum. Utrumque autem falsum sine duobus est, et ideo falsum etiam est dari tale medium inter illa duo membra. Quocirca si in dicto sensu sumatur divisio, recte dicitur auxilium efficax proprium esse prædestinatorum, sufficiens reprobis; tamen, sicut non datur medium inter prædestinatos et reprobos (quidquid Catherinus confinxit), ita neque inter tale auxilium efficax et sufficiens. Et fortasse interdum Augustinus in hoc sensu loquitur de vocatione congrua, indicans esse propriam prædestinatorum, ut videre licet lib. de Prædestin. Sanctorum, c. 8 et seq., et lib. de Dono Perseverantiæ, c. 8 et seq. Appellat enim vocationem congruam, vel illam tantum quæ procedit ex proposito absoluto dandi gloriam, quod nos vocamus prædestinatorum electionem. Vel nomine vocationem, sed illam seriem vocationum et prævenientium auxiliorum, quæ incipit ab illa vocatione congrua, quæ facit hominem consequi illam gratiam sanctificantem, a qua usque ad mortem non cadit; talis enim vocatione congrua, seu potius vocationum collectio propria est prædestinatorum.

Etiam in reprobis dantur multa auxilia efficacitatis ad eos effectus propter quos proxime dantur. — At vero si sumatur divisio in ordine ad effectum bene operandi quemcumque actum supernaturalem, sic erit generalior, et adæquata, etiam respectu sui termini. Quia certum est ad plures actus dari a Deo auxilium, quo vere et proxime fieri possent, et ex solo defectu liberi arbitrii non fiunt; illud ergo est sufficiens. E contrario vero certum est nullum actum supernaturalem fieri, qui non procedat ex divina vocatione. Verisimilius etiam est omnem hujusmodi actum provenire ex præfinitione divina, ac proinde talem vocationem, quæ in præscientia Dei infallibiliter habitura est effectum, dari a Deo sub ea intentione absoluta, ut talem effectum habeat, atque ita dari sub ratione efficacis; sicque nullum esse actum supernaturalem qui ab auxilio efficaci non procedat; nullum ergo erit auxilium proportionatum ad bene supernaturaliter operandum, quod vel sufficiens vel efficax non sit. Hoc autem modo divisione intellecta, dici non potest gratiam efficacem esse propriam prædestinatorum; nam certissimum est etiam in reprobis dari multa auxilia vere efficacitatis ad eos effectus, propter quos proxime dantur, esto ad æternam salutem

consequendam efficacitatis non sint. Item, in eo sensu non recte dicitur illam vocationem esse congruam vel efficacem, quæ datur ex proposito absoluto dandi gloriam; nam multa auxilia efficacitatis dantur ex alia intentione, scilicet, vel ex sola voluntate antecedente dandi gloriam, vel ex prædefinito decreto trahendi hominem ad fidem vel ad pœnitentiam seu justitiam, secundum aliquod tempus præsens.

Atque ita, licet non omne auxilium efficax procedat ex prædestinatione simpliciter, quæ est ad gloriam vel ad gratiam finalem, tamen omne illud est ex aliqua prædefinitione seu prædestinatione secundum quid, id est ad fidem, vel temporalem justitiam. Quod si quis contendat non oportere omnes actus supernaturales esse sic prædefinitos, ac proinde non omnes procedere a prævio auxilio efficaci, et tamen auxilium quod ad illos datur non esse tantum sufficiens, atque ita jam dari aliquod auxilium, quod nec efficax sit nec sufficiens: respondeo imprimis argumentum non procedere contra me, qui opinionem illam non admitto, imo potest retorqueri argumentum ad ostendendum opinionem illam probandam non esse. Qui vero illam defenderit, ut divisionem illam adæquatam esse sustineat, necesse est ut dicat denominationem hanc auxilii efficacis non pendere ex hoc quod detur ex proposito prædefinitivo actus liberi, sed satis esse quod detur ex certa præscientia futuræ effectiois, et consecutionis effectus, si detur, et ex beneplacito ac proposito dandi illud sub ea ratione congrui et utilis beneficii. Nullus ergo est modus probabilis explicandi divisionem illam, in quo adæquata non sit.

Quod tandem additur de oppositione et distinctione membrorum inter se, facili negotio explicatur, abstrahendo nunc a variis modis quibus juxta diversas opiniones illa partitio explicatur; nam qui distinguunt illa auxilia in hoc, quod efficax prædeterminet voluntatem ad unum, sufficiens autem minime, et ideo illud habet infallibiliter conjunctum actum secundum, hoc vero potius habet infallibiliter adjunctam carentiam actus secundi; qui (inquam) ita explicant divisionem, satis profecto declarant oppositionem membrorum inter se; vereor tamen ne talis efficacitas unius auxilii non solum opponatur sufficientiæ alterius, verum etiam destruat illam, simulque libertatem arbitrii evertat; sed hoc in reliqua parte hujus operis agendum est.

Qui vero distinguunt illa auxilia per congruitatem vel incongruitatem vocationis, si putent incongruitatem illam ita convenire sufficienti auxilio, ut dicat intrinsecum defectum illius, et ex parte ejus, seu illi de se et in actu primo convenientem, et ex illo defectu infallibiliter habere ut non consequatur actum secundum; e contrario vero congruitatem alterius auxilii consistere in majori aliqua perfectione physica et entitativa ejus, seu, quod proinde est, in aliquo dono gratiæ pertinente ad actum primum, necessarium ad actum secundum, et illum secum infallibiliter afferentem; hi etiam satis declarant oppositionem et distinctionem illorum membrorum. Sed etiam vereor ne in uno membro veram sufficientiam auxilii evertant, et defectum operationis ejus in Deum principaliter referant; in altero vero membro vix aut nullo modo valeant efficaciam illam cum libertate arbitrii concordare. Nam si illa major perfectio congruentis auxilii est necessaria ad actum secundum, quomodo illud auxilium, quod illam perfectionem non habet, est sufficiens? Vel si necessaria non est, cur sine illa non dabitur aliquod auxilium efficax? Item si ex auxilio sic congruo sequitur infallibiliter operatio ex vi causalitatis ejus, quomodo relinquit libertatem, cum illa causalitas sit antecedens? si autem non est ex vi causalitatis illa infallibilitas, cur non poterit auxilium aliquod cum tota illa congruitate et perfectione esse tantum sufficiens?

Auxilium efficax quodnam sit. — Auxilium sufficiens quid. — Efficacitas cum libertate et cum sufficientia alterius auxilii ut concordetur. — Abstrahendo ergo ab his sententiis, dicimus illa duo membra in hoc distingui et opponi, quod auxilium efficax est illud quod infallibiliter obtenturum est a voluntate liberum consensum, et ad hunc finem et sub hac formalitate (ut sic dicam) a Deo confertur; sufficiens vero dicitur illud quod posset quidem, quantum est de se, a voluntate libera obtinere consensum, de facto vero non obtinet, ipsa resistente. Et ita clara etiam est oppositio et distinctio membrorum; nec negari potest quin in vocationibus seu prævenientibus gratiæ auxiliis illa diversitas inveniatur, quanquam in modo et radice infallibilitatis possit esse controversia, quæ in sequentibus tractanda est; nos autem supponimus provenire partim ex præscientia conditionata Dei, partim ex decreto Dei distribuentis dona sua, prout vult. Et ita facile concordatur efficaci-

tas cum libertate, et cum sufficientia alterius auxilii; nam infallibilitas illa non est mere causalis, sed includit præscientiam liberæ cooperationis voluntatis, futuræ sub conditione, et ideo optime consistit cum libertate. Ac proinde eadem infallibilitas et præscientia ejus non est necessaria ex parte actus primi, quia in eo secundum se est sufficiens virtus ad opus; sed oritur tantum ex perfectione divinæ scientiæ, quæ penetrat non solum virtutes causarum, sed etiam earum determinationes quomodocumque futuras.

Et ideo hinc non tollitur quominus in alio auxilio, in quo talis infallibilitas non cernitur, sit nihilominus tota virtus necessaria in actu primo ex parte gratiæ ad supernaturalem actum, cum facultate etiam obtinendi quidquid necessarium est in actu secundo, si per liberum arbitrium non steterit; et consequenter vera sufficientia auxilii, etiamsi de facto operaturum non sit. Nec per hoc tollimus quin auxilium efficax sæpe includat abundantior gratiam et protectionem Dei, et interdum adeo magnam, ut ex vi illius sit effectus moraliter certus et infallibilis. Dicimus tamen nec illam abundantior gratiam esse absolute necessariam ad auxilium efficax præveniens, ne omne aliud auxilium relinquatur insufficientis, nec illam moralem infallibilitatem in causa esse sufficientem ad efficacitatem auxilii, quæ sit consentanea prædefinitioni divinæ, nam hæc esse debet omnimoda, et (ut sic dicam) metaphysica infallibilitas, ita ut, facta suppositione decreti, impossibile sit et implicet contradictionem deficere; ideoque cum quacumque abundantia prævenientis auxilii conjungendam semper esse dicimus conditionatam præscientiam, ita ut infallibilitas perfectissima sit.

Si auxilium sufficiens est vere sufficiens, cur nunquam consequitur effectum actus secundi. — Atque ita facile tollitur duplex admiratio, in qua auctor ille magnam vim facit. Una est, si auxilium sufficiens est vere sufficiens, cur tale auxilium nunquam consequitur effectum actus secundi. Altera est cur tale auxilium non dicatur potius inefficax quam sufficiens; ita enim clarius et formalius opponeretur auxilio efficaci, et ratio insinueretur cur nunquam habeat actum secundum. Ad priorem enim respondemus tale auxilium nunquam habere effectum actus secundi, quia liberum arbitrium resistit, seu operari non vult, vel contrarium operatur; cur autem semper cum tali auxilio ita velit, non

oportet rationem aliquam quærere præter libertatem ejus, ut est apud Augustinum, lib. de Peccat. merit., cap. 17, et sæpe alias. Si autem quæratur unde constare possit tot tanta auxilia vere sufficientia, imo de se efficaciacia, nunquam habitura effectum, respondemus facile Deo id constare ex vi prædefinitivæ præscientiæ vel conditionatæ, priusquam id permittat, vel absolutæ postquam decrevit permittere; nobis autem constare partim ex revelatione, qua scimus Deum dare vel offerre omnibus sufficiens auxilium, partim ex effectu ipso quo scimus omnes qui consentire nolunt cassum reddere tale auxilium.

Declaratur. — Unde si quis recte consideret, hæc prior admiratio non est alia, præter eam quæ ex multitudine reproborum et pravorum hominum oritur. Cur nimirum, cum Deus illum omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibusque sufficientia tribuat auxilia, tot homines damnentur; et ab eisdem, qui tandem salvantur, cur maxima ex parte tot prius committantur peccata, totque Divinæ vocationes prius cassæ reddantur? Quorum omnium nulla ratio est nisi libertas et fragilitas voluntatis humanæ, Deo ita permittente, cujus inscrutabilia sunt judicia. Hæc enim omnia clara et certa etiam in principiis fidei. Quibus nos addimus hunc ipsum effectum prævidisse Deum sub conditione: Si illud permetteret, et majora auxilia non daret; et nihilominus voluisse non dare majora, et consequenter prævidisse illa auxilia tantum futura fuisse sufficientia; et ita in illa præscientia dicimus hoc esse infallibile, non in aliqua incongruitate, quam auxilium de se habeat in actu primo spectatum.

Cur tale auxilium non dicatur potius inefficax quam sufficiens. — Auxilium sufficiens ex se, unde habeat quod sit inefficax. — Altera vero admiratio de nomine potius est quam de re. Sicut enim distinximus vocem efficaciac, ita etiam vox illa inefficax distinguenda est. Potest enim dici virtus inefficax, vel in actu primo, quia vim non habet efficiendi, vel in actu secundo, quia de facto effectura non est. Priori modo efficaciac repugnat sufficientiæ, et ideo non potest auxilium sufficiens vere vocari inefficax. Posteriori autem modo nihil obstat quominus auxilium sufficiens inefficax appelletur, quia cum vera sufficientia stat illa inefficacitas, ut per se notum est. Non tamen ita est auxilium appellatum, vel ad tollendam ambiguitatem et invidiam verbi, vel quia per illam partitionem et membra ejus explicari

intenditur quid revera conveniat auxiliis gratiæ, quatenus a Deo sunt; auxilium autem sufficiens, ex se, et ut a Deo manat, habet quod sit vere sufficiens; quod autem sit inefficax non habet ex se, sed ex libero arbitrio, nec ex intentione Dei, sed ex defectu hominis; et ideo non accepit nomen ex defectu, quem habet ab homine, sed ex perfectione quam a Deo habet. At vero auxilium efficax non solum sufficientiam, sed etiam efficaciam habet a Deo, ejusque absoluta intentione, atque etiam ex virtute sua. Quamvis enim ad hanc efficaciam, ut in re ipsa illam ponat, requirat ut conditionem vel concausam influxum liberi arbitrii, nihilominus auxilium ipsum ex innata sua virtute habet suum actualem influxum, quo et facit actum ipsum liberi arbitrii, et præterea ipsum liberum arbitrium ad faciendum inducit, et ab illo suo influxu, vel in ordine ad illum, efficax nominatur. Stat ergo solida illa divisio, quæ ex Scripturis et Patribus alibi comprobata est latius. Et in sequenti capite pauca de necessitate efficaciac auxilii addemus, et in discursu totius libri utrumque auxilium amplius explicabitur.

CAPUT II.

DE PUNCTO ET STATU CONTROVERSIE, QUÆ EST IN EFFICACITATE PRÆVENIENTIS GRATIÆ EXPLICANDA.

Status controversiæ. — An efficax auxilium sit solum concomitans, vel etiam præveniens? — An auxilium præveniens, si efficax est, differat a sufficiente in additione auxilii prævenientis complementis efficaciam. — Posito ergo pro constanti dari auxilium gratiæ efficac, esseque ad actus liberos supernaturales efficiendos necessarium, ut statum controversiæ declarem, supponere oportet divisionem auxilii gratiæ in excitans et adjuvans, quam coincidere putamus cum partitione ejusdem auxilii in operans et cooperans, et in præveniens et concomitans, quibus subsequens non addit novum auxilium, sed tantum respectum ad præcedens auxilium, ut in citato opusculo explicatum reliquimus. In duobus ergo punctis consistere potest hujus controversiæ status: unum est, an efficax auxilium sit solum concomitans vel etiam præveniens; aliud est, an auxilium præveniens, si efficax est, differat a sufficiente in additione auxilii prævenientis complementis efficaciam; vel solum in quodam peculiari ordine et connexio-